

Eustachii Atrebatensis *Quaestiones septem de aeternitate*

Autor:

Omar Argerami

Revista:

Patristica et Mediævalia

1983-1984, 4-5, 101-131



Artículo

EUSTACHII ATREBATENSIS QUAESTIONES SEPTEM DE AETERNITATE

Textus et adnotationes: OMAR ARGERAMI

PRAENOTANDA QUAEDAM AD QUAESTIONES DE AETERNITATE ATTINENTIA

Eustachii Atrebatensis de vita et operibus perpauca conscripta sunt¹. Natus Rothomagi, ut videtur, circa annum 1225, habitum accepit ordinis Sancti Francisci et in universitati parisiensi studia impendit. Ibi lectiones Sancti Bonaventurae et Guiberti Tornacensis secutus, ad gradum theologiae pervenit et ut magister regens in monasterio fratrum minorum parisiensi mansit. Die 15 augusti anni 1270, Parisiis coram rege Aloysio IX famosissimum pronuntiavit sermonem *De assumptione Beatae Mariae*. Misso ab eodem rege in Sedem Apostolicam Viterbiensem, Martinus IV Papa illum capellanum suum erexit, et posterius, anno 1282 exeunte, die 4 novembris, episcopum Constantiensem consecravit. Multis diversisque proprii muneris confectis, episcopalis sedis possessionibus auctis, diversorum regularium ordinum monasteriis repositis, vel bonorum maioris ponderis munitis, ecclesiis constructis, refectis dicatisque, operibus per plurimis inceptis et fere omnibus finitis, die 7 augusti anni 1291 e saeculo transiit.

¹ P. GLORIEUX: "Maîtres franciscains de Paris: Frère Eustache" in: *La France Franciscaine XIII* (1930) 125-171. ID.: *Répertoire des maîtres en théologie de Paris au XIIIe. Siècle*. II, Paris 1933, págs. 77-82. ID.: *La littérature quodlibétique de 1260 à 1320*. II, Paris 1935, págs. 77-81. A. LANDGRAF: "Zum Schriftum des Fr. Eustachius", in: *Colectanea francescana I* (1931) 79-80. F. STEGMÜLLER: *Repertorium commentariorum in Sententias P. Lombardi*. Wurtzburg, 1947, n^o 213, págs. 95-96. De Eustachii actibus in munere episcopali, haec citantur a T. de Morembert in *Dictionnaire de Biographie française*. Paris, fasc. LXXIV, 1971, col. 276, scilicet: ROUAULT: *Abrégé de la vie des évêques de Coutances*, 1839, págs. 197-199; R. TOUSTAIN DE BILLY: *Histoire ecclésiastique du diocèse de Coutances*. (Ed. François Dolbett) II, 1880, págs. 54-75.

Ad opera quod attinet, Fratris Eustachii edita sunt: primum eius quodlibet; tres quaestiones (11, 12, 13) tertii quodlibeti, quae ad cognitionem spectant; quaestiones de peccato veniali; et *De existentia animae in corpore*. Plurima vero manent in codicibus adhuc inedita, ut Commentaria in libros Sententiarum, quaestiones disputatae et quodlibeticae, sermones, et alia varii generis.

Quaestiones de aeternitate, a nobis e manuscripto Bibliothecae Apostolicae Vaticanae Burghesiano 139 (ff. 58^r - 69^v) excerptae, apparent in coetu 31 quaestionum (a folio 1 usque ad 104^v), quas inter quaestio quinta imperfecta quodlibeti II; in fine codicis (ff. 140^r - 174^r) accedunt quodlibet III, quaestio de agente creato, quaestiones 3 de maternitate divina, et quaestiones 4 de veniali peccato.

Quo tempore Fr. Eustachius quaestiones nostras determinasse, haud dubium difficilime quadam certitudine dictu, et ex hodie manentibus testimoniis, vel documentis extantibus, probari non posse sane videtur. Circiter autem 1265 annum Parisiis has habuisse certa probabilitate affirmari potest.

Siquidem conceptus propositionesque, quibus in expositione Eustachius utitur, communes scholaris usus conspiciuntur, nec ut auctor in quaestionibus philosophicis magister noster emineat, quaedam sunt quae digna particularis mentionis adstant, et specialissime nobis notatu dignus videtur conceptus "existentiae"², quo ille, accepto, ut supra diximus, tempore compositionis plus minusve remoto, sensu quasi modernorum utitur, v. c.: "oportet ponere quod aeternitas sit, quae sit mensura talis entis et durationis suae existentiae" (versus 163-164); "finis terminans est ipse terminus rei quantum ad virtutem et existentiam" (169-170); "talis adaequatio non potest esse nisi inter res finitas et terminatas in sua natura et existentia" (693-695); "quod est principians ipsas res et terminans sive limitans earum naturas et existentias" (705-708); et hoc etiam, in quo duo coniunguntur, scilicet, existentia et coexistentia, "similitas duobus modis potest intelligi: uno modo, secundum rationem condurationis et coexistentiae diversorum durabilium; et hoc modo illa sunt similia quae coexistunt simul, et hoc modo similitas dicit diversitatem extrinsecam, quia ponit diversas existentias" (756-760); "mundi productio et mundi existentia" (873). Cum etiam auctor utatur expressionibus "esse rerum", "actus essendi", valde utile ad claritatem terminorum erit haec omnia adaequate distinguere.

Siquidem quaestiones hae nostrae praecise definitum sensum stricte theologicum exhibeant, notiones vero et argumenta, ut primo visu perspicere lector facillime poterit, philosophica longe lateque usitentur, non solum his qui dogmaticis quaestionibus opus impendunt, sed etiam omnibus his qui problemata historiae idearum et scholasticorum conceptuum prae oculis habent,

² Cum usus notionis huius, et relationes quae probabiliter inveniri possunt, nobis sufficientis videantur ponderis, melius ad eius dilucidationem putavimus laborem ampliolem perpolitumque parare, quem speramus eruditis nostris lectoribus in futurum haud remotum humiliter offerre. Tantum sit hic licitum memorari hunc usum vocabuli in operibus Scti. Thomae Aquinatis nos non invenisse.

perutiles devenire poterunt. Quae cum ita sint, nostris lectoribus bene merentibus quaesumus, ut illa omnia, quae ad emendationem, perfectionem vel soliditatem huius nostrae Fr. Eustachii editionis pertinentia videantur, nobis benevole referant. Quibus toto ex corde grati erimus.

CONSPECTUS SIGLORUM ET ABBREVIATURARUM

| | |
|----------|--|
| : | : separat lemmata. |
| < > | : continent verba a nobis introducta in textu. |
| add. | : addidit. |
| cancell. | : cancellavit. |
| coniect. | : coniectura. |
| dub. | : dubium. |
| exp. | : expunxit. |
| in marg. | : in margine. |
| iter. | : iteravit. |
| ms. | : manuscriptum. |
| om. | : omisit. |
| s.v. | : supra versum. |

Graphia verborum est hodierna, similiter ac punctuationis signa, in quibus non sequuti sumus manuscriptum.

EUSTACHII ATREBATENSIS QUAESTIONES SEPTEM
DE AETERNITATE

(Ex B. A. V. codice Burghesiano 139, ff. 58^r - 69^v)

<Quaestio 1: Utrum aeternitas sit>

F. 58^{ra}

Primo quaeritur de aeternitate, utrum aeternitas sit, et hoc est quaerere an sit ponere mensuram carentem principio et fine. Quod autem necesse sit ponere aeternitatem esse, videtur: Omne incompletum et imperfectum, secundum Philosophum, 5
reducitur ad perfectum sive completum in genere illo. Ergo, si est ponere <incompletum et imperfectum> in aliquo genere, necesse est ibi ponere completum et perfectum. Sed constat quod omne fluens et habens terminum est incompletum et eius duratio incompleta; ergo, necesse est ponere esse permanens, et 10
quod non <habeat> terminum nec durationem talem. Si ergo durationi respondet mensura; ergo, necesse est ponere aliquam mensuram permanentem et quae non habeat simpliciter terminum. Haec autem est aeternitas, sicut patet per diffinitionem eius positam a Boethio; ergo, necesse est ponere aeternitatem. 15
ITEM, omne fluens reducitur ad permanens. Ergo duratio fluens reducitur ad durationem permanentem; igitur praesens transiens in praeteritum reducitur ad praesens permanens. Sed constat quod praesens semper permanens non est nisi aeternitas, 20
sicut dicit Boethius; praesens autem fluens et transiens est in durationibus creatis; ergo, necesse est ponere aeternitatem esse.

4. in-completum: im- *ms.* 6. incompletum et imperfectum: *coniect.* 10.
habeat: *coniect.* 12, terminum: non *add. ms.*

14. *Boetii De consolatione Philosophiae Lib. V, prosa VI (ML LXIII, 858):* Aeternitas igitur est, interminabilis vitae tota simul et perfecta possessio. [...] Quod igitur interminabilis vitae plenitudinem totam pariter comprehendit, ac possidet, cui neque futuri quidquam absit, nec praeteriti fluxerit, id aeternum esse iure perhibetur: idque necesse est, et sui compos praesens sibi semper assistere, et infinitatem mobilis temporis habere praesentem.

20. *Ibidem.*

22. Locum Aristotelis ad litteram non inveni, sed cf. *Phys.* VIII, 5, 256b20-24.

ITEM, Philosophus dicit in quarto Physicorum quod si duo
 25 inveniuntur coniuncta, si unum per se potest inveniri, et reli-
 quum per se poterit inveniri. Sed istae conditiones quae sunt
 causa <et> causatum, alicubi inveniuntur coniunctae, quia ali-
 quid est quod est causa et causatum, sicut patet in causa natu-
 55 rali rerum, et alterum invenitur per se, scilicet aliquid quod
 est causa tantum vel causatum. Ergo reliquum invenitur per
 se, scilicet, quod aliquid sit causa tantum. Sed quod est causa
 tantum non potest esse nisi aeternum; ergo, necesse est ponere
 aliquid esse aeternum. Sed, si aeternum est, necessario et aeter-
 nitas est; ergo, aeternitas habet esse.

ITEM, ens et bonum et verum convertuntur, et unum simi-
 liter. Si ergo est ponere bonitatem ad quam caeterae reducuntur,
 30 et in qua est status; et similiter veritatem, et similiter unita-
 tem; ergo, similiter est ponere entitatem in qua est status ad
 quam caetera entia reducuntur. Si ergo status non est nisi in
 summo, ergo, sicut bonitas illa est summa in qua est status,
 35 similiter et illa entitas est summa in qua est status omnium
 entium. Sed summum in quolibet genere nihil habet admixtum
 de contrario; sicut summum bonum nihil de malo; ergo, necesse
 est ponere summum ens quod nihil habeat admixtum de non
 ente, nec actu nec potentia. Sed omne esse quod habet initium
 vel quod habet finem habet aliquid admixtum de non esse, actu
 40 vel potentia; ergo, tale ens, quod habet principium vel finem,
 non potest esse summum. Ens in quo est status oportet esse
 sine principio et fine. Sed tale est aeternum; ergo necesse est
 aliquid esse aeternum. Sed, si aeternum est, aeternitas est;
 ergo, necesse est aeternitatem esse.

45 IN OPPOSITUM, nihil habet esse quod penitus careat bono,
 Sed aeternitas nominat illud quod penitus caret bono; ergo,
 aeternitas non est. Maior patet per beatum Dionysium: nihil
 eorum quae sunt participatione bonum expers est; et etiam, quia
 bonum et ens convertuntur. Etiam minor patet, quia omne quod
 50 penitus caret fine penitus caret bono, quia finis et bonum idem.

25. et: *coniect.*

47. *De divinis nominibus*, cap. IX, § 20: ...omnia existentia, inquantum sunt et bona sunt et ex bono; inquantum autem privata sunt bono, neque bona neque existentia sunt.

Cf. paulo antea: bonum autem in quibus perfecte quidem ingignitur, perfecta facit et immixta et integra bona; quae autem minus ipso participant et imperfecta sunt bona et mixta propter defectum boni.

Et paulo post: Quod autem, secundum omnem modum, bono privatum est nusquam ullo modo neque erat neque est neque erit neque esse potest.

Sed aeternitas dicit idem quod penitus caret fine quocumque modo accipiatur finis; ergo aeternitas dicit idem quod penitus caret bono.

F. 58^{rb}

60

ITEM, omne quod est, certa ratione potest cogitari. Sed aeternitas certa ratione non potest cogitari; ergo, aeternitas non est. Maior patet: nihil quod implicet duo contradictorie opposita similiter, certa ratione potest cogitari. Aeternitas est huiusmodi; ergo, et caetera. Minor adhuc patet, quoniam aeternitas dicit quamdam durationem indeficientem. Sed omnis duratio est temporis esse continuatio. Cum ergo omne continuum habeat partem extra partem, sive post partem, et nihil tale est totum simul; ergo, aeternitas, ratione qua est quaedam continuatio non est tota simul. Cum ergo in ratione eius a Boethio ponatur quod est tota simul, et ponatur esse quaedam duratio continua; ergo, est tota simul et non tota simul; ergo, et caetera.

65

70

75

80

ITEM, nihil habet esse in rerum natura, ad cuius positionem sequitur impossibile. Sed, posita aeternitate, ponitur impossibile; ergo aeternitas non habet esse. Minor patet, quoniam si aeternitas est, aeternum est. Sed, posito aeterno, ponitur impossibile, quoniam, si aliquid est aeternum, aliquid est a se. Sed hoc est impossibile, quoniam haec praepositio "a" dicit habitudinem causae vel principii. Sed nihil habet rationem causae vel principii respectu sui esse, cum necesse sit causam <vel> principium distingui vel differre ab eo cuius est causa; impossibile est igitur aliquid esse a se; ergo, impossibile est esse aeternum.

85

90

ITEM, ratio mensurae est quod, secundum ipsam, assignatur ipsi mensurato principium, medium, et finis; unde Augustinus dicit de loco, secundum quod est mensura, quod secundum ipsum assignatur ipsi locato principium, medium, et finis. Sed impossibile est quod, secundum aliquid, assignetur alicui principium, medium et finis nisi illud, secundum quod fit ista determinatio principii, medii et finis, habeat principium, medium et finem. Ergo, necesse est quod mensuratur habeat prin-

74. ergo: et *add. sed exp. ms.* 80. vel: *coniect.*

69. Cf. ad 1. 14.

84. Textum S. Augustini de loco non inveni.

cipium, medium et finem; ergo, non est ponere aliquam mensuram carentem principio et fine; ergo, non est ponere aeternitatem.

95 ITEM, omne quod caret principio et fine est immensum. Sed nihil immensum potest aliquid mensurare; ergo, nulla mensura est carens principio et fine. Sed constat quod, si aeternitas esset, quod ipsa esset huiusmodi; ergo, impossibile est aeternitatem esse. Quod autem nihil immensum possit aliquid mensurare, probatur sic, quoniam nullo modo actus egreditur ab aliqua
100 potentia quae sit sub contraria dispositione ad illum actum, sicut videmus quod, licet ferrum calidum possit aliquid aliud calefacere, ferrum tamen frigidum nihil calefacere potest; ergo, cum illud quod est immensum <sit> cuius virtus vel potentia <est> sub opposita dispositione ad mensurationem, quoniam
105 immensum dicitur per privationem mensurationis; ergo, quod est immensum nec mensuratur nec potest aliquid mensurare.

ITEM, carere principio et fine dicit privationem eius quod est habere principium et finem. Sed omnis privatio posterior est habitu; ergo, si est ponere mensuram vel durationem carentem principio et fine, ipsa erit posterior illa quae habet principium et finem, scilicet tempore. Ergo, talis duratio vel mensura non erit mensura primi esse, scilicet divini esse, cum mensura et mensuratum simul sint. Sed constat quod talis mensura non potest aliud esse mensurare, quia nullum aliud esse
110 caret principio et fine; ergo, talis mensura non potest aliquid mensurare. Ergo, talis mensura nullo modo est, aut frustra est.
115

58^{va}

RESPONDEO dicendum quod necesse est ponere aeternitatem esse, sicut probant primae rationes. Nisi enim esset ens aeternum, non haberet intellectus in quo staret in entibus. Quod
120 autem istud sit necesse, apparet sic, quoniam, si est ens ab alio, necesse est quod sit ens <a se>; alioquin esset procedere in infinitum, et non esset status neque complementum in entibus, quoniam istud ens esset ens ab alio, et illud ab alio, et sic in infinitum. Necesse est, ergo, quod si est ens non ab alio;
125 ens autem non ab alio est ens sine principio sive non habens principium essendi initiale, tale <sit> aeternum, quoniam, si caret principio initiale, caret similiter fine in essendo. Quoniam nullum habet aspectum, nullam possibilitatem ad non esse; et

94. est: immensurum *add. sed cancell. ms.* immensum: inmesum *ms.* 103. sit: et *ms.* 104. est: sit *ms.* 110. posterior: posteriorum *ms.* 112. non erit mensura: *iter ms.* 121. a se: ab alio *ms.* 126. sit: est *ms.*

130 ideo oportet quod careat principio et fine. Cum ergo mensura sit unigena mensurato, ut dicitur in IX Metaphysicae, necesse est quod mensura suae durationis careat principio et fine. Haec autem mensura dicitur aeternitas. Ideo necesse est ponere aeternitatem esse.

135 SECUNDA ratio ad hoc est quoniam, cum sit ordo in entibus et omnis ordo de necessitate ponat reductionem plurium ad unum primum, alioquin non est ordo, necesse est omnia entia reduci ad unum primum ens. Illud autem, si esset ab alio per essentiam differente, iam non esset ens primum, et ideo oportet ipsum non ab alio esse; et ideo oportet ipsum sine initio esse, et
140 carere principio initiali. Item, cum in illo in quo fit reductio plurium sit status, et status non sit nisi in completo et indeficiente, oportet illud ens esse completissimum et indeficiens; et ideo, oportet ipsum carere fine. Oportet igitur illud ens ad quod omnia reducuntur carere initio et fine; et similiter mensuram suae durationis. Et hanc dicimus aeternitatem.

145 TERTIA ratio huius est quoniam, sicut vidimus in bonis secundum Boethium quod, quia est ponere bonum per participationem, necesse est ponere bonum per essentiam; sicut dicimus quod, quia est ens per participationem necesse est ponere
150 ens per essentiam; sicut ergo vidimus quod ipsum quod est bonum per essentiam omnino est impermixtum malo, quod est contrarium boni, et actu et potentia, quae autem participatione sunt bona potentiam habent ad malum, sicut quae participatione sunt similia recipiunt dissimilitudinem, ut dicit Augustinus in LXXXIII quaestionibus; sic dicimus quod illud quod
155 est ens per essentiam habet omnino impermixtum esse, et actu et potentia, cum non esse. Non sic autem illa quae sunt entia per participationem, sed omne ens habens initium et finem habet aliquo modo et possibilitatem ad non esse. Et ideo, oportet quod illud quod est ens per essentiam omnino careat initiali
160 principio et fine. Et ideo mensura suae existentiae sive eius durationis, oportet quod sit sine principio et fine; et hanc

129. oportet: esse *add. sed exp. ms.* 155. quaestionibus: quaestione *ms.* 162. durationis: duratio *ms.*

130. *Metaph.* X, 1, 1053a25: Semper autem cognatum est metrum.

147. *Boetii: Quomodo substantiae in eo quod sint, bonae sint.* (ML LXIV, 1311-1314): videas epistolam totam.

155. *S. Augustini De diversis quaestionibus LXXXIII*, q. XXIII: illa quae participatione similia sunt, recipiunt dissimilitudinem: at ipsa similitudo nullo modo ex aliqua parte potest esse dissimilis.

dicimus aeternitatem. Et ideo oportet ponere quod aeternitas sit, quae sit mensura talis entis et durationis suae existentiae; aliter esset procedere in infinitum.

165
58vb
170
175
180
185
190

AD RATIONES autem in contrarium respondendum. Et primo ad primam, quod illud quod penitus caret / fine caret bono et ita entitate, dicendum quod duplex est finis: est enim finis terminans et finis quietans. Finis terminans est ipse terminus rei quantum ad virtutem et existentiam; et hunc finem habent illa quae habent essentias et virtutes limitatas, sicut illa quae sunt finita. Et privatione huius finis dicitur aliquid infinitum quod est immensum; et sic quod caret isto fine non caret bono sed caret limitatione et termino; ita quod numquam cessat aut desinit esse. Et hoc modo aeternitas dicit durationem carentem fine, scilicet terminatione, quia scilicet numquam cessat aut desinit esse. Et quod sic caret fine habet verissimum et perfectissimum esse, quia scilicet nullo modo possibile ad non esse. Finis autem quietans est ille finis ad quem moventur alia per appetitum et desiderium, in cuius adeptione quiescunt; et iste finis ponitur una de quattuor causis, et ordine recto ad istum finem dicuntur res bonae. Sunt igitur quaedam quae sunt ad istum finem ordinabilia, et de illis visum est quod, si carent fine aut ordine ad finem, carent bono. Talia sunt creaturae omnes, et opera humana, et actus et operationes. Alia sunt quae non sunt ordinabilia ad istum finem, quia sunt iste finis sive sunt de illis quae circa ipsum intelliguntur; et tale est aeternitas, quae idem est quod Deus, qui est finis ultimus omnium. Et ideo ipsa non caret bono, sed est in ipso quod est bonum per essentiam.

195
200

AD SECUNDUM quod obicit, quod aut aeternitas non erit mensura divini esse aut implicat contradictorie opposita, et ita non erit, dicendum quod continuatio durationis, sive continua duratio, potest intelligi dupliciter: uno modo dicitur duratio continua ratione protensionis, quia scilicet protendit partem ultra partem; sicut videmus in continuo dimensionali quod pars ultra partem protenditur; et talis continuatio durationis de necessitate repugnat similitati et simplicitati, quia ponit partem ante partem. Hoc modo aeternitas non dicit durationem continuam. Alio modo dicitur duratio continua, non ratione protensionis partis a parte, sed ratione indeficientiae, quia scilicet talis duratio numquam deficit, sed tamen non protendit partem ultra partem, sed est semper tota simul, et secundum

173. immen-sum: -sus *ms.* 176. termina-tione: -te *ms.* 189. ipso: ipsum *ms.* 198. similitati: et sip *add. sed exp. ms.*

205 se totam numquam deficit. Et hoc modo aeternitas nominat
durationem continuam, id est, non deficientem sed semper
totam. Et ita de ipsa non bene procedit ratio, unde non implicat
in se contradictorie opposita.

AD ILLUD quod tertio obicitur, quod nihil habet esse a se
et ita nihil est aeternum, dicendum, sicut supradictum est,
210 quod, cum dicitur "aeternum est a se", haec praepositio "a"
non notat ibi habitudinem causae vel principii positive sed
negative, quia est "est a se", id est "non ab alio differente per
essentiam". Ex hoc autem non sequitur quod habeat causalita-
tem respectu sui, sed per hoc removetur quod non habet causa-
215 litatem respectu aeterni.

AD ILLUD quod obicitur quarto, quod secundum mensuram
determinatur rei principium, medium et finis, dicendum quod
istud veritatem habet in mensuris limitatis et finitis, et quae
59^{ra} mensurant res limitatas / et finitas, quae natae sunt habere
220 principium et finem. Talis autem mensura non est ista de qua
hic loquimur, neque talium rerum. Unde, in mensura quae habet
rationem continentis et terminantis ipsum mensuratum, ha-
beret istud veritatem, et non in alia; et quae etiam est propria
mensura est locus, et de illa dicitur verbum illud.

225 AD ILLUD quod obicitur quinto, quod nihil habens potentiam
sub opposita dispositione elicit actum, dicendum quod immen-
sum non dicitur per privationem cuiuslibet mensurae vel mensu-
rationis, sed privat illam mensurationem quae est per quamdam
conterminationem mensurae et mensurati. Sic enim, nihil
230 immensum mensurat aut mensuratur. Mensurat tamen aliter
suo modo, quia scilicet unum alterum non excedit. Et sic men-
sura ista habet mensurare esse quod est sine principio et fine.

AD ILLUD quod sexto obicitur, quod carere principio et fine
dicit privationem, dicendum quod duplex est privatio: quaedam
235 est enim secundum rem et veritatem; quaedam autem est se-
cundum modum significandi sive intelligendi, quae tamen magis
est positio et habitus secundum rem. Et hoc est quia quaedam
est privatio quae est remotio alicuius naturae et positionis
ab ipsa re, sicut caecitas removet visum sive actum videndi
240 et aptitudinem naturae ad ipsum, quorum utrumque est po-
tentia quaedam et natura: Et talis est vere privatio secundum
rem et veritatem; et nomina quae dicunt talem privationem
vere sunt privativa. Talis ergo privatio posterior est habitui.

235. autem: *dub. in ms.* 242. et²: *nonam add. sed cancell. ms.* nomina:
in marg. ms.

245 Alia est privatio, quae est remotio eius quod est defectus sive defectibilitatis a re; et talis, licet sit privatio secundum modum intelligendi, tamen secundum veritatem magis est potentia; quia talis <est> privatio privationis, unde, sicut negatio negationis vere ponit affirmationem, sic talis privatio vere, secundum rem, ponit habitum et potentiam. Et talem privationem
 250 important haec nomina: immortale, incorruptibile, impassibile. Removent enim defectus a re, et ideo talia nomina, licet dicantur secundum privationem quantum ad modum significandi, tamen veram dicunt potentiam et habitum. Quod enim est incorruptibile verius habet esse et naturam quam quod est possibile;
 255 unde hoc quod dico possibile prius dicit privationem secundum rem, licet secundum modum significandi dicatur positive. Res ergo importata per talia nomina privativa non est posterior re importata per nomina positiva sibi opposita; immo prior, cum verum dicant habitum et rem. Sic dico huiusmodi carere enim
 260 principio et fine, licet ista carentia videatur esse quaedam privatio, tamen magis est, secundum rem, vera potentia; quia haec carentia est remotio defectibilitatis a re quae est huiusmodi. Quod enim caret principio et fine durationis numquam fuit non ens, numquam et potest esse non ens, et tale verissime
 265 est ens. Quod autem habet utrumque, habet aspectum ad non esse, et tanto minus vere ens. Et ideo aeternitas, quae dicit huiusmodi carentiam, importat similiter habitum et rem, quae simpliciter prior est; et ideo ipsa est simpliciter mensura prior, et entis verissimi.

<Quaestio 2: utrum aeternitas sit omnino idem quod divina essentia.>

270 SECUNDO quaeritur utrum aeternitas sit omnino idem quod divina essentia; quod sic videtur: Anselmus in Monologio: aeternitas est earum rerum quae non sunt aliud quam ipsa. Si ergo ipsius Dei est aeternitas, ergo aeternitas nihil aliud est quam Deus.

245. secundum modum intelligendi tamen *iter. ms.* 247. est: *coniect.*

250. im-mortale: in- *ms.*

271. Anselmi verba ad litteram non inveni, sed cf. *Monol.* c. XXVIII, et c. XVII; *Prosl.* XX-XXII.

- 59^{rb} ITEM, si aeternitas est in esse divino, et non est / idem
 275 quod Deus; ergo, est in Deo sicut quaedam proprietas et acci-
 dens, sicut videmus quoniam tempus est quaedam proprietas
 et accidens temporalis, et similiter aevum respecto aevitatis.
 280 Sed dicit Boethius quod Deus, qui est forma pura, non potest
 subiectum fieri respectu alicuius accidentis, in libro de Trini-
 tate. Ergo, si aeternitas est huiusmodi, ergo nullo modo est
 in Deo. Ergo, ipsa non est accidentalis proprietas divini esse;
 immo attributum eius essenziale; et omne tale est idem quod
 285 divina essentia, sicut apparet de potentia, sapientia, et aliis
 attributis. Ergo et aeternitas.
 ITEM, sicut dicit Augustinus, omne simplex est quicquid
 habet. Sed Deus est summe simplex et habet aeternitatem;
 ergo, ipse est aeternitas sua.
 290 ITEM, Anselmus in libro de incarnatione Verbi: Deus non
 est aliud quam sua simplex aeternitas. Aeternitates autem
 plures intelligi nequeunt; ergo, et caetera.
 ITEM, Anselmi Proslogion capitulo XXI^o: tu Domine es
 quod es, nec potes cogitari non esse aliquando, et vita es et lux,
 et sapientia, et beatitudo, et aeternitas, et multa huiusmodi
 295 bona; et tamen non es nisi unum et summum bonum. Deus
 ergo est aeternitas sua.

295. tamen: s. v. in ms.

-
279. *Boet. De Trinitate* cap. II (ML LXIV, 1250 C): Sed divina substantia sine materia forma est, atque ideo unum est, et id quod est. *Ibid.* D: Forma vero, quae est sine materia, non poterit esse subiectum, nec vero inesse materiae; neque enim esset forma, sed imago.
286. Dictum Augustini ad litteram non inveni, sed videas:
De Moribus Ecclesiae et Manichaeorum II, 6, 8: Nihil est autem esse, quam unum esse. Itaque in quantum quidque unitatem adipiscitur, in tantum est. Unitatis est enim operatio, convenientia et concordia, qua sunt in quantum sunt, ea quae composita sunt: nam simplicia, per se sunt, quia una sunt...
De Trinitate, VII, 1, 2, in fine: ... Vere ibi est summe simplex essentia: hoc ergo est ibi esse quod sapere. [...] Quod enim est sapientiae sapere, et potentiae posse, et aeternitati aeternum esse, iustitiae iustam esse, magnitudini magnam esse, hoc est essentiae ipsum esse. Et quia in illa simplicitate non est aliud sapere quam esse, eadem ibi sapientia est quae essentia.
289. *S. Anselmi Epistola de incarnatione Verbi* XV: Deus non est aliud quam ipsa simplex aeternitas.
 Cf. totum n. XV et quae ibi dicuntur de aeternitate.
292. *S. Anselmi Proslogion* c. 22 (erratum Eustachii est cum dicat 21): Tu solus ergo Domine, es quod es, et Tu es qui es, [...] Et Tu es qui proprie et simpliciter es, quia nec habes fuisse ut futurum esse, sed tantum praesens esse, nec potes cogitari aliquando non esse. Et vita es, et lux, et sapientia, et beatitudo, et aeternitas, et multa huiusmodi bona, et tamen non es nisi unum et summum bonum.

AD OPPOSITUM, Anselmus in Monologio capitulo X: quid-
 quid fit, posterius est eo per quod fit; et nihil est posterius
 se ipso secundum Anselmum. Sed aeternitas est facta; ergo,
 300 est posterior ipso faciente. Sed faciens eam est Deus, qui factor
 est omnium rerum; ergo, ipsa est posterior Deo. Sed, sicut
 ipse dicit, nihil posterius se ipso; ergo, ipsa non est Deus.
 Quod autem aeternitas sit facta, patet per auctoritatem Gre-
 gorii super Iob; et ponitur <ab eo distinctio secundum quam
 305 illud> quod factum non est non potest dici perfectum proprie
 Sed aeternitas proprissime est perfecta, unde Boethius, libro V
 de consolatione: aeternitas est interminabilis vitae tota simul
 et perfecta possessio; ergo, aeternitas est facta.

ITEM omnis causa essentialiter differt a suo effectu. Sed
 310 Deus est causa aeternitatis; ergo, Deus et aeternitas essentia-
 liter differunt. Ergo, Deus non est aeternitas. Maior patet,
 quoniam dicit Philosophus quod causa est ad cuius esse sequitur
 aliud. Similiter minor patet per Augustinum: <in> libro
 LXXXIII quaestionum videtur dicere quod anima aeterna
 315 aeternitatis participatione sit, non autem ita aeternus Dominus,
 sed quod ipsius aeternitatis est auctor Deus. Ergo, non dicitur
 aeternus essentialiter, sed solum accidentaliter, et ita non sunt
 idem.

ITEM, ut dicit Philosophus, quaecumque se habent ut prius
 320 et posterius in duratione, per essentiam differunt. Sed Deus
 et aeternitas sunt huiusmodi; ergo, per essentiam differunt.

304. ab ... illud: *coniect.* in hac distinctio c⁹. hic potest quaeri qui dicit sic *ms.*
 305. factum: est *add. ms.* 307. de: *om. ms.* 313. in: *om. ms.*

297. Dictum hoc non apparet in textum c. X Monologii. Sed videas *Monol. VI*:
 ...: per aliud est et posterius, et aliquo modo minus est eo, per quod habet
 ut sit. At summa natura nullatenus est per aliud, nec est posterior aut
 minor seipsa aut aliqua re alia.

304. Argumentum hic citatum non inveni in Gregorii "Moralia in Iob".

306. Cf. ad 1. 14.

312. Ad verbum non inveni, sed cf. *Phys. II, 3, 194b16-195b30*; hoc idem brevius
 in *Metaph. V, 2, 1013a24-1014a25*.

314. *Augustini De diversis quaestionibus LXXXIII, q. XXIII*: Nam et anima
 aeternitatem vel intelligitur vel creditur consequi, sed aeterna aeternitatis
 participatione fit. Non autem ita aeternus Deus, sed quod ipsius aeternitatis
 est auctor.

319. Effatum Aristotelis non inveni.

Minor patet per Philosophum in libro De Causis, in secunda propositione, ubi dicit: omne esse superius, aut est superius aeternitate et ante ipsam, aut est cum aeternitate, aut est post aeternitatem et supra tempus. Et dicit Commentator quod esse quod est ante aeternitatem est Causa Prima, quoniam est causa eius; sed esse cum aeternitate est intelligentia. Ergo, apparet quod Deus duratione antecedit aeternitatem.

ITEM, impossibile est quod factum et non factum sint idem per essentiam. Sed Deus et aeternitas differunt per factum et non factum; ergo, nullo modo sunt idem per essentiam. Minor patet, quoniam Deus non est factus, aeternitas autem est

322. O. Bardenhewer, *Die pseudo-aristotelische Schrift Über das reine Gute bekannt unter dem Namen Liber de causis*, Prop. 2 (p. 115): Omne esse superius aut est superius aeternitate et ante ipsam, aut est cum aeternitate, aut post aeternitatem et supra tempus. Esse vero quod est ante aeternitatem est causa prima, quoniam est causa ei. Sed esse quod est cum aeternitate est intelligentia, quoniam est esse secundum; secundum habitudinem unam, non patitur neque destruitur. Esse autem quod est post aeternitatem et supra tempus est anima, quoniam est in horizonte aeternitatis inferius et supra tempus. Et significatio quod causa prima est ante aeternitatem ipsam, est quod esse in ipsa est acquisitum. Et dico quod omnis aeternitas est esse sed non omne esse est aeternitas; ergo esse est plus commune quam aeternitas. Et causa prima est supra aeternitatem, quoniam aeternitas est causatum ipsius. Et intelligentia apponitur vel parificatur aeternitati, quoniam extenditur cum ea et non alteratur neque destruitur. Et anima annexa est cum aeternitate inferius, quoniam est susceptibilior impressionis quam intelligentia, et est supra tempus, quoniam est causa temporis. Textus idem invenitur in *Aristotelis Opera cum Averrois Commentariis*, Vol. VII. Venetiis apud Junctas 1562-1574 (Unveränderter Nachdruck, Frankfurt a.M., Minerva, 1962), f. 212^{rb-va}, sed nescio quo pacto Eustachius tribuit Commentatori quod, ut videri potest, pertinet ad textum Libri de Causis.

325. Videas supra, ad 1. 322.

facta. Probatio: dicit Chrisostomus super Ioannem, homilia quarta, loquens contra arianos haereticos, qui dicebant Filium
 335 Dei cepisse ante mundum, et ita factum ante mundum, et tamen

333. In homilia IV S. Ioannis Chrisostomi in Ioannis Evangelium non apparet argumentum hoc; immo, verba "Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil quod factum est", in homilia V commentantur. Siquidem in IV argumentum in haereticorum dicta induitur, ad rem non pertinet, ut opinor. Sed textus videas:

S. Ioannis Chysostomi Archiep. constantinop. In Ioanem Homilia IV, 2-3 (MG, t. LIX, 49-50): Nam si principium antequam habet; etiamsi infinitus sit, non tamen immensus erit: immensum enim utrinque immensum esse oportet; id quod etiam Paulus declarans dicebat: *Neque principium dierum neque finem vitae habens* (Hebr. 7,3), et principio et fine carere declarans. Quemadmodum enim hoc, sic neque illud finem habet; cum neque hic finis sit, neque illic initium. Verbum si vita est, aeternum est. Obiectio haereticorum; Filius, theós dicitur sine articulo, refutatur. Quomodo autem, cum vita sit, fuerit tempus cum non esset? Vita enim semper, ac sine principio et fine esse nemo non fateatur, si ille vere vita sit, ut revera est. Si vero fuit aliquando cum non esset, quomodo vita aliorum sit, quae aliquando non fuit? Quomodo igitur, inquit, Ioannes principium posuit dicens, *In principio erat?* Illine voci, quaeso, *In principio*, et illi, *Erat*, attendis; et illam, *Verbum erat*, non cogitas? Quid vero, quando de Patre dicit propheta: *A saeculo et usque in saeculum tu es* (Psal. 89, 2); an his verbis terminos ipsi ponit? Nequaquam; sed aeternitatem significat. Idipsum hic cogita. Non terminos ponens ita loquutus est: neque enim dixit, Principium habuit; sed, *In principio erat*: hac voce, *Erat*, te deducens ut Filium sine principio esse cogitares. Si itaque semper cum Patre erat, si omnia ipse condidit, produxit et continet (hoc enim per vitam significavit), si omnia illuminat; quis ita stultus erit ut dicat, evangelistam haec verba ut divinitatem eius minuiret induxisse,...

Ibidem, Homil. V, c. 1 (MG LIX, 53-54): Ideo Moyses quidem, etsi minorem creationis partem aggrediatur (nihil enim nobis de invisibilibus potestatibus narravit), in illis versatur: hic vero, qui ad ipsum Creatorem ascendere festinat, iure omnia praetercurrit, et haec quae ille dixit, et ea quae ipse tacuit, paucis complectitur, *Omnia per ipsum facta sunt*. Ne vero putes, ipsum ea tantum memorare quae Moyses narravit, subiungit, *Et sino ipso factum est nihil quod factum est*: hoc est, ex rebus factis, sive sub aspectum, sive sub intellectum tantum cadant, nihil sine Filii virtute productum est. Neque enim punctum apponemus post illud, *Nihil*, ut haeretici faciunt. Illi enim cum velint Spiritum creatum esse, ita legunt: *Quod factum est, in ipso vita erat*. At sic haec nullo modo intelligi potuerunt. Primo enim hic non opportuna Spiritus mentio esset: quod vitandum id nolisset, cur tam obscure loquutus esset? Unde enim constat hoc de Spiritu dictum esse? Alioquin autem secundum hanc seriem comperiemus, non Spiritum, sed ipsum Filium per seipsum factum esse. Verum attendite, ne vos hoc dictum effugiat; et age interim ad illorum morem legamus: hoc pacto enim manifestior erit absurditas: *Quod factum est, in ipso vita erat*.

59^{va} omnia / per ipsum esse facta cum tamen ipse factus esset; quod improbat dicens quod non omnia per ipsum erant facta, scilicet, si factus est, etiam ante mundum, quoniam illud quod praecessit aevum non esset factum per ipsum. Ipse ergo supponit pro
 340 vero quod illud, quod aevum praecessit, sit factum per ipsum, scilicet per Filium. Sed quod praecessit aevum non est nisi aeternitas; ergo aeternitas est facta per ipsum. Differunt ergo Deus et aeternitas per factum et non factum.

ITEM, maior est convenientia inter causam naturalem et
 345 causatum suum quam inter mensuram et mensuratum. Sed causa naturalis semper secundum rem differt ab effectu suo; ergo, multo magis mensura differt a mensurato secundum rem. Sed aeternitas, ut supra ostensum est, mensurat divinum esse; ergo, realiter differt ab ipso. Maior patet, quoniam causa natu-
 350 ralis dat naturam suam et esse suum communicat ipsi causato suo; non sic autem mensura, quae non producit mensuratum nec dat ei aliquid de mensura sua.

ITEM, quaecumque differunt sicut omnino simplex et com-
 355 positum, per essentiam differunt, quoniam nihil unum et idem est simplex et compositum. Deus et aeternitas sunt huiusmodi, quoniam Deus est omnino simplex et aeternitas composita; ergo, essentialiter differunt. Quod autem aeternitas sit composita patet, quoniam aeternitas, cum sit sine principio et fine, est infinita. Sed, sicut dicit Philosophus in quarto Physicorum,
 360 infinitum est cuius quantitatem accipientibus semper est aliquid accipere extra. Sed omne illud cuius est semper aliquid accipere extra, est compositum, quoniam omne tale habet partem extra partem. Ergo, aeternitas, cum sit infinita, est composita, et non idem quod Deus.

365 RESPONDEO dicendum, sicut probant primae rationes, quod Deus, cum sit simplicissimus in quo nulla est diversitas, quod ipse est sua aeternitas, ita quod secundum rem nihil aliud est aeternitas quam Deus, sicut dicit Anselmus secundum primam rationem. Tamen, communior est aeternitas quam Deus, quia

368. primam: *i. m. ms.*

359. Dictum Aristotelis non legitur in IV Phys., sed in *Phys.* III, 6, 207a7-8: Infinitum quidem igitur hoc est, cuius, secundum quantitatem accipientibus, semper est aliquid accipere extra.

368. Cf. ad 1. 271.

370 cadit in ratione mensurae cuiusdam, gratia cuius comparationem habet etiam ad alia quam ad Deum; et ratione huius melius dicitur "hoc est in aeternitate" quam "hoc est in Deo", sicut beati dicuntur esse in aeternitate. Ratio autem huius, quare aeternitas idem est quod Deus, ista est: quoniam, cum
 375 aeternitas intelligatur esse in divino esse sicut eius mensura, et mensura semper adaequatur proprio mensurato, ipsa aeternitas adaequatur Deo; et ideo, cum Deus sit immensus, necesse est quod aeternitas sit immensa. Duo autem esse immensa, sicut vult Boethius, est impossibile, sicut probat de duobus summe
 380 bonis. Et ideo, impossibile est quod aliquid extrinsecum ad Deum, et differens essentialiter ab ipso, sit immensum et ei adaequetur. Et idcirco est ponere aeternitatem non esse aliud, secundum rem, quam Deum.

AD ILLUD ergo quod primo obicitur, quod aeternitas facta
 385 est quia est perfecta, dicendum quod perfectum dicitur dupliciter: uno modo dicitur perfectum quod posterius est in facto esse; alio modo dicitur perfectum cuius nihil est extra ipsum, sive cui nihil deest. Et hoc secundo modo dicitur aeternitas perfecta; primo autem modo dicit Gregorius quod illud quod
 390 non est factum non debet dici perfectum.

AD SECUNDUM quod obicitur, quod Deus est causa et actor aeternitatis, dicendum quod est loqui de aeternitate dupliciter: uno modo, quantum ad completam et propriam rationem, et sic aeternitas nominat durationem carentem principio et fine, et
 395 haec est solius divini esse mensura, et non est aliud quam ipsum esse divinum, sicut visum est; alio modo est loqui de ipsa quantum ad diminutam rationem, et sic aeternitas nominat durationem carentem fine, habentem tamen principium, / et sic plures sancti et auctores appellant aevum aeternitatem.
 59^vb
 400 Aevum enim nihil aliud est quam aeternitas participata; participat enim rationem aeternitatis in hoc quod dicit durationem sine fine, sed totam rationem aeternitatis non capit, quia habet initium. Et huius aeternitatis dicitur Deus esse causa et actor, quae non est ipse Deus nec nominat divini esse mensuram;
 405 immo nominat mensuram esse aeviternorum. Unde Deus dicitur actor esse aeternitatis, non qua ipse aeternus est, sed aeternitatis participatae quae aevum est, sicut dicimus quod ipse est

379. Cf. ad l. 147.

389. Cf. ad l. 304.

causa omnis bonitatis, non suae sed eius quae ab ipso in creaturas effluit sicut a principio. Unde intentio Augustini est dicere
 410 quod anima dicitur aeterna a participatione aeternitatis, hoc est, quia dicitur aeterna quia aeviterna, quia scilicet habet durationem sine fine, quia Deus non dicitur sic aeternus. Immo ipse est causa huius aeternitatis participatae quae est aevum, qua anima dicitur aeterna; et propter hoc, si dicatur sic aeternitas,
 415 non erit praedicatio per essentiam sed per causam, quia scilicet causat huius aeternitatem, sicut quandoque dicitur Deus ens sapiens per causam, quia scilicet ab ipso est omnis entitas et omnis sapientia.

PER HOC patet responsio ad illud quod tertio obicitur, scilicet, quod Deus est prior aeternitate. Ipse enim Philosophus accipit ibi aeternitatem pro aevo, et hoc patet quoniam Commentator, et etiam Philosophus, vult ibi quod aeternitas de qua loquitur ibi est mensura esse ipsius intelligentiae; et bene verum est quod Deus est ante aevum, intelligentia autem est
 425 cum ipso et in ipso, unde non accipit ibi aeternitatem proprie, quae est mensura sive duratio carens principio et fine; quae non est aliud quam Deus.

AD ILLUD quod quarto obicitur, quod aeternitas est facta, sicut patet per auctoritatem Ioannis Chrisostomi, dicendum
 430 quod illa obiectio Chrisostomi procedit ex hypothesi. Supposito enim quod filius Dei sit factus vel causatus, sicut ipsi haeretici dicebant, et sit factus ante omnia, spatium quoddam, secundum Ioannem, fuit ante ipsum; quod sequitur non esse factum per ipsum, si ipse est factus, quia si filius Dei ante omnia factus
 435 est, et constat quod fuit aliqua mensura vel spatium mensurans eius fieri et eius esse in quo factus est, et constat quod illam non fecisset, quia non erat, constat etiam quod illa mensura esset facta, quia non esset aeternitas, quae est sine principio et fine; ergo esset quaedam alia quae non esset aevum nec
 440 aeternitas. Et tamen esset facta, sed non per filium Dei, quia esset factus in illa vel cum illa; et ita vult Chrisostomus dicere quod, si filius Dei esset factus, non omnia per ipsum facta

434. si: cpe *add. sed exp. ms.*

409. Cf. ad 1. 314.

420. Cf. ad 1. 322.

429. Cf. ad 1. 333.

essent; quod tamen illi haeretici dicebant. Et ita, opponendo
 445 contra ipsos dicit istud, et confutando per hypothesim ipsorum
 errorem. Sed non dicit illud asserendo simpliciter et absolute.
 Sequitur enim quod, si filius Dei factus esset ante omnia alia,
 quod esset quoddam spatium vel mensura in quo vel cum quo
 esset factus, et illud spatium non esset aeternitas Dei, nec
 450 aevum, nec tempus; immo, esset ante, cum spatium illud intelli-
 geretur quaedam extensio in genere, conveniens extensioni tem-
 poris et aevi.

AD ILLUD quod quinto obicitur de mensura, dicendum quod,
 sicut duplex est finis et terminus, ita duplex mensura: est enim
 finis et terminus intra et extra; similiter est mensura intrin-
 455 seca et extrinseca. Mensura extra est sicut tempus respectu
 temporalium, aevum respectu aeviternorum, et locus respectu
 locati; et de tali mensura bene obicit. Unde bene concedo quod
 60^{ra} talis mensura semper per essentiam differt a / mensurato. Sed
 mensura intrinseca non differt naturaliter a re ipsa, sicut
 460 terminus intra, qui est forma rei, non difert per essentiam
 a re. Aeternitas ergo, etsi sit mensura divini esse, est tamen
 mensura intrinseca, quia non competit divino esse quod habeat
 aliquid mensurans ipsum extra; quia tunc aliquid extrinsecum
 adaequaretur ipsi; et ita tamen, propter divinam simplicitatem,
 465 quae summa est, omnia quae sunt intrinseca in divino esse sunt
 unum et indifferentia; patet quod ipsa aeternitas cum Deo
 idem est.

AD ILLUD quod sexto obicitur de infinito, quod semper est
 extra accipere et ita habet partem extra partem, dicendum,
 470 sicut dicit Philosophus: finitum et infinitum quantitati conve-
 niunt. Est ergo duplex quantitas, scilicet molis et virtutis.
 Prout ergo infinitum cadit in quantitate molis, datur diffinitio
 ista. Tale enim infinitum, aut est per appositionem aut per
 divisionem; et tale habet semper aliquid extra, et tale infinitum
 475 et incompletum idem est. Sed infinitum, prout cadit in quan-
 titate virtutis, et completum idem sunt; et hoc est infinitum
 immensitatis, et tale cadit in spiritualibus, non autem infinitum
 primo modo. Tale etiam infinitum non ponit potentialitatem,
 sed ponit summam perfectionem, quia tale infinitum et summum
 480 idem sunt, sed tollit limitationem. Hoc modo Deus est infinitus,
 et eius aeternitas est infinita; unde non bene procedit obiectio
 ista.

469. dicendum: *litura in ms.* 474. infinitum: est *add. sed exp. ms.*

<Quaestio 3: utrum aeternitas sit mensura divini esse>

TERTIO quaeritur utrum aeternitas sit mensura divini esse; quod sic videtur: enti nobilissimo debetur nobilissima mensura
 485 in essendo. Sed ens divinum est huiusmodi; ergo, et caetera. Sed nobilissima mensura est aeternitas et perfectissima; ergo, ei debetur.

ITEM enti simplicissimo debetur mensura simplicissima. Divinum ens est simplicissimum. Mensura autem simplicissima
 490 est aeternitas, quod patet per Boethium, qui dicit quoniam aeternitas est tota simul; ergo, in ipsa nulla est successio nulla-
 que distantia, nec habet partem post partem. Ergo maxime convenit enti Deo.

ITEM, enti infinito debetur mensura infinita. Et ens divi-
 495 num est infinitum et aeternitas est mensura infinita; quod patet quoniam quod caret principio et fine est infinitum, quoniam non finitur nec ex parte ante nec ex parte post. Aeternitas est huiusmodi; ergo, et caetera.

ITEM Commentator supra penultiman propositionem Libri
 500 de Causis dicit quod est quaedam res cuius substantia cadit sub

490. Cf. ad 1. 14.

499. *Liber De Causis*, Prop. 31 (quoad ed. cf. 1. 315): Inter rem cuius substantia et actio sunt in momento aeternitatis et inter rem cuius substantia et actio sunt in momento temporis existens est medium, et est illud cuius substantia est ex momento aeternitatis et operatio ex momento temporis. Quod est quia res cuius substantia cadit sub tempore, scilicet quia tempus continet eam, est in omnibus dispositionibus suis cadens sub tempore, quare et eius actio cadit sub tempore. Res autem cadens sub tempore in omnibus dispositionibus suis seiuncta est a re cadente sub aeternitate in omnibus dispositionibus suis. Continuatio autem non est nisi in rebus similibus. Necesse est ergo ut sit res alia tertia media inter utrasque, cuius substantia cadat sub aeternitate et ipsius actio cadat sub tempore. Impossibile namque est ut sit res cuius substantia cadat sub tempore et actio eius sub aeternitate: sic enim actio eius melior esset ipsius substantia; hoc autem est impossibile. Manifestum igitur est quod inter res cadentes sub tempore cum suis substantiis et suis actionibus et inter res quarum substantiae et actiones sunt cadentes sub momento aeternitatis sunt res cadentes sub aeternitate per substantias suas et cadentes sub tempore per operationes suas, sicut ostendimus.

aeternitate, et eius actio sub tempore. Sed, econtrario, non potest esse ut dicit, quia sic eius actio melior esset eius substantia. Ex quo patet quod habere esse in aeternitate simpliciter melius est. Sed divinum esse est optimum, et ei convenit quod
505 simpliciter melius est; ergo, divinum esse est in aeternitate.

ITEM, consimilis dicitur esse ordo in mensuris sicut est in mensuratis, quia mensura propria dicitur esse unigenea mensurato. Si ergo est aliquod ens, vel aliquod esse, ad quod reducantur omnia alia entia, vel alia esse, necesse est quod habeat
510 talem durationem et talem mensuram quod ad eius durationem vel mensuram reducantur durationes et mensurae aliorum entium. Sed tale est divinum esse; mensura ergo divini esse dicitur esse talis ad quam mensurae aliorum entium reducantur. Sed haec non est nisi aeternitas; ergo, aeternitas est mensura
515 divini esse. Quod autem aeternitas sit mensura talis probo, quia omne incompletum reducitur ad completum, et omne fluens reducitur ad permanens; ergo, duratio fluens reducitur ad durationem permanentem; ergo, et praesens transiens in praeteritum reducitur ad praesens quod est semper / permanens.
60^{rb} 520 Sed tale praesens non est nisi praesens aeternitatis, sicut patet per auctoritatem Augustini suprapositam LXXXIII quaestionum; ergo, omnes aliae durationes et mensurae reducuntur ad aeternitatem. Et sic ipsa dicitur esse propria mensura illius esse ad quod reducuntur et a quo fluit omne aliud esse.

ITEM, aeternitas quaedam mensura est, et etiam mensura permanens est, et nullo modo fluens neque deficiens; ergo, non potest esse in re defectiva. Sed omnis creatura, quantum est de se, defectibilis est; ergo, non potest esse nisi in creatrice essentia, quae nullo modo est defectiva, et ita est proprie mensura divini esse.
525 530

ITEM, mensura et mensuratum debent habere adaequationem, unde nullum mensuratum excedit mensuram propriam. Sed esse divinum se habet ad omnia alia entia sicut continens et circumplectens illa; ergo, eius mensura propria debet continere et complecti mensuras omnium aliorum entium. Sed
535 haec non est nisi aeternitas, quoniam, ut dicit Anselmus, Proslogion XXI capitulo, sicut saeculum temporum continet omnia

510. durationem: et *add. sed exp. ms.* 529. essen-tia: -tiam *ms.*

521. Cf. loc. cit. ad 1. 314.

536. *S. Anselmi Proslogion*, c. XXI: Sicut enim saeculum temporum continet omnia temporalia, sic tua aeternitas continet etiam ipsa saecula temporum.

temporalia, sic tua aeternitas continet ipsa saecula temporum. Vult etiam quod continet saeculum angelorum, quod est aevum; ergo, aeternitas est divini esse mensura propria.

540 AD OPPOSITUM: nihil immensum habet mensuram, unde Richardus, liber II de Trinitate, capitulo sexto: quod infinitum est, nulla mensura comprehendi potest. Divinum esse est immensum; ergo, nullam habet mensuram. Ergo, aeternitas non est
545 eius mensura. Maior patet, quoniam immensus dicitur per privationem mensurae, scilicet, quod caret mensura.

ITEM, mensura proprie adaequatur suo mensurato, sed nihil potest adaequari esse divino, quoniam infinito nihil potest adaequari, cum esse infinitum sit excedens; ergo, divinum
550 esse non habet mensuram cum sit infinitum.

ITEM, nihil caret eo quod est, quia nihil caret se ipso. Sed Deus est principium et finis; ergo, Deus non caret principio et fine. Sed omne aeternum caret principio et fine; ergo, Deus non est aeternus; ergo, eius mensura non est aeterna.

555 ITEM, quod est simplicissimum non habet mensuram; immo simplicissimo omnia alia mensurantur, sicut vult Philosophus in II Metaphysicorum. Sed omne divinum esse est simplicissimum; ergo, nulla mensura mensuratur; ergo, aeternitas non est eius mensura.

560 ITEM, rei omnino impartibilis non debet mensura esse partibilis, quoniam mensura et mensuratum debent esse unigenae. Sed aeternitas est mensura partibilis, divinum autem esse est omnino impartibile et indivisibile; ergo, aeternitas non potest esse mensura divini esse. Quod autem aeternitas sit
565 partibilis patet, quoniam ubicumque est totalitas est partibilitas. Sed in aeternitate est totalitas, quoniam dicit Boethius quod aeternitas est interminabilis vitae possessio tota simul; ergo, et caetera.

570 ITEM, ubi est aeternitas, ibi est similitas, sicut patet per eius diffinitionem, quia est tota simul. Sed ubi est similitas ibi est diversitas et distinctio, quia similitas dicit relationem,

555. immo: imo *ms.*

542. *Richardi S. Victoris De Trinitate Libri sex*, 1. II, c. VI (ML CXCVI, 904C): Immensum sane merito dicitur, quod nulla mensura comprehenditur. Immensum dicitur quod nulli mensurae aequale, vel comparabile invenitur.

557. Effatum Aristotelis non invenitur ad litteram, sed legas *Metaph.* II, 2, 994a1-18 de necessitate primi principii.

566. Cf. ad 1. 14.

et talem quae importat distinctionem sive diversitatem. Cum ergo divinum esse sit omnino indistinctum et omnino idem, circa ipsum non cadit similitas; ergo, nec mensura notans similitatem est in ipso <velut> eius mensura.

575

ITEM, rei quae omnino est sine continuitate et distensione non potest esse mensura continua et distensa. Sed talis mensura est aeternitas; ergo, ipsa non est divini esse mensura. Quod autem ipsa sit talis videtur, quoniam Isaac / in libro de diffinitionibus, diffiniens aeternitatem, dicit quod aeternitas est spatium continuum non intersectum; spatium enim dicit distensionem quamdam, et continuum continuitatem.

60^{va}

580

ITEM, quod non sit simpliciter primum <non> est attribuendum Deo sicut mensura, quoniam entis quod est simpliciter primum debet esse mensura quae est simpliciter prima. Sed aeternitas non est mensura simpliciter prima; ergo, et caetera. Minor patet, quoniam aeternitas ponit interminabilitatem; aeternitas enim, secundum Boethium, est interminabilis vitae possessio. Sed ubi est interminabilitas ibi est quaedam circularitas; ergo, aeternitas est mensura quaedam circularis. Sed circulare est posterius recto; ergo, aeternitas est mensura posterior tempore et eis quorum sunt mensurae rectae; ergo, non est propria mensura rei quae est simpliciter prima.

585

590

ITEM, quaecumque sunt totaliter unum et idem, una et eadem mensura mesurantur. Sed divinum posse, scire, velle et praescire sunt unum et idem; ergo una et eadem mensura mesurantur. Sed divinum praescire non mesuratur aeternitate, cum Deus desinat praescire aliqua; ergo, nec divinum esse est per aeternitatem mesurabile.

595

600

605

ITEM, omnis substantia in qua non differt substantia, virtus et operatio, eadem mensura mesuratur quantum ad substantiam, virtutem et operationem. Deus est huiusmodi; ergo, et caetera. Si ergo divinum esse mesuratur aeternitate, ergo et eius operari; ergo, divinum creare mesuratur aeternitate. Ergo, Deus ab aeterno sive aeternaliter creat. Sed hoc est falsum; ergo, et illud ex quo sequitur.

575. velut: vel *ms.* 583. non: *om. ms.* 592. eis quorum: eorum quae *ms.*
595. velle et praescire: et velle praescisse *ms.* 601. mesuratur: -antur *ms.*

579. Isaac *Liber de Diffinitionibus*: non habui.
588. Cf. ad 1. 14.

ITEM, quod est circumferentia ad centrum, hoc est aeternitas ad tempus, quia aeternitas undique continet et complectitur tempus. Sed circumferentia, secundum rationem intelligendi et ordinem naturae, est posterior centro; ergo, aeternitas est posterior tempore. Si ergo tempus nullo modo est mensura divini ac primi esse; ergo, multo magis nec aeternitas.

ITEM, omnis veritas mensuratur tempore, vel aevo, vel aeternitate. Sed mundum esse creandum fuit verum in Deo ante mundi constitutionem; aut ergo mensuratur tempore aut aeternitate. Non tempore; non erat; ergo, aeternitate. Sed hoc verum desiit esse verum; ergo, videtur quod aeternitas habeat terminum. Ergo, non potest poni aeternitas circa esse divinum, quod est incorruptibile, tamquam eius mensura propria.

RESPONDEO dicendum quod divinum esse est aeternum, et quod mensura eius est aeternitas. Et hoc necessario est ponere si consideremus conditiones ipsius divini esse et ipsius aeternitatis. Divinum enim esse est simpliciter primum, et hoc quia causa est omnium aliorum. Esse autem quod est simpliciter primum necessario non habet principium. Esse autem quod est huiusmodi est sine omni inceptioe; quod enim incipit esse, a se ipso non potest esse, quoniam omne tale prius est in potentia quam in actu et nullum tale se ipsum ducit in actum; immo ducitur in actum essendi per aliquod actu ens, quod sit ante ipsum. Et ita, quod incipit esse non est primum simpliciter in genere entium. Cum igitur esse divinum sit primum simpliciter in genere entium, patet quod ipsum est sine inceptioe. Esse autem quod est sine inceptioe mensuratur tali mensura quae simpliciter est sine inceptioe; aliter tale esse esset aliquando sine mensura sua propria. Huiusmodi autem mensura est aeternitas; ideo divinum esse necessario / est aeternum, et eius mensura est aeternitas.

ITEM, divinum esse est esse actualissimum, et ideo est sine possibilitate omni, ita quod totum habet actu et nihil habet in potentia. Sed omne esse tale est totum simul; quod autem est huiusmodi non habet propriam mensuram sibi correspondentem nisi quae est tota simul. Haec autem est aeternitas, sicut dicit Boethius; ideo aeternitas ponitur eius mensura.

ITEM, divinum esse est simplicissimum, et hoc quia simpliciter primum. Quod autem est huiusmodi caret priori et pos-

650 teriori, quia prius et posterius necessario inducunt diversitatem et veram compositionem, et etiam successionem; et idcirco divinum esse caret priori et posteriori et omni successione. Si enim esset fluens non esset simplex nec permanens sive stans; et ideo mensuratur mensura stante et simplici, quae est aeternitas, tamquam sua propria mensura.

655 ITEM, divinum esse, quia est infinitum sive immensum simpliciter et summe, ideo habet omnimodam interminabilitatem. Summa enim immensitas ponit omnimodam interminabilitatem; quod enim ex aliqua parte habet terminum sive initialem sive finalem, nullo modo est immensum sive infinitum. Et ideo propria eius mensura non potest esse nisi aeternitas, quae omnino interminabilis est et infinita.

660 ITEM, divinum esse est excellentissimum, comprehendens omnia et superexcellens omnibus. Et ideo, mensura eius debet esse talis, et ideo aeternitas, quae est superexcellens omnibus, debet esse eius mensura. Et sic patet quod, si consideremus conditiones divini esse, quae omnes sunt conditiones complementi et summae perfectionis, et conditiones aeternitatis, quod
665 non est eius nec potest esse propria mensura nisi aeternitas: quae dicit mensuram primam, mensuram indivisibilem sive totam simul, mensuram simplicissimam, mensuram infinitam sive interminabilem, mensuram superexcellentem. Ab hiis autem conditionibus deficiunt aliae mensurae, scilicet aevum
670 et tempus; unde sunt mensurae defectivae et secundum plus et minus.

ITEM, cum hiis potest etiam alia ratio addi, quia divinum esse, cum sit perfectissimum, debet habere mensuram perfectissimam. Haec autem non est nisi aeternitas; quod patet quia
675 aeternitas dicit mensuram carentem principio et fine; et ita dicit mensuram quasi circularem, et ita perfectissimam. Circulus enim, qui est figura carens principio et fine, est perfectissima figura; et ideo non competit aeternitas ut mensura propria nisi esse divino.

680 AD PRIMUM ergo quod obicitur, quod nihil immensum habet mensuram, dicendum quod verum est de mensura terminante, quae scilicet terminat mensuratum et circumterminatur ei. Talis enim mensura non est nisi circa rem terminatam et

685 finitam, quae scilicet terminum habet suae existentiae et durationis per naturam. Quod autem immensum est non habet terminos, ideo non habet talem mensuram. Habet tamen mensuram aliam sibi possibilem, quae scilicet immensa est sicut et ipsum.

690 AD SECUNDUM, quod mensura adaequatur mensurato et nihil potest adaequari infinito, dicendum quod duplex est adaequatio: quaedam enim est per conterminationem, quaedam autem per mutui excessus / privationem. Quae ergo primo modo adaequantur habent terminos simul; et ideo talis adaequatio non potest esse nisi inter res finitas et terminatas in sua natura et existentia. Et sic verum est quod nihil adaequatur Deo, 695 nec etiam infinito, quia talis adaequatio ponit terminos. Sed adaequatio secundo modo dicta non ponit terminationem, sed privat excessum; et hoc modo infinitum adaequatur infinito: nec excedit ipsum, nec exceditur ab ipso. Et sic aeternitas, quae 700 est immensa et infinita, adaequatur divino esse, quod est immensum et infinitum; sed non per conterminationem, sed per mutui excessus privationem.

AD TERTIUM, quod nihil caret eo quod est et Deus est principium et finis, dicendum quod principium et finis dupliciter 705 accipiuntur: uno modo secundum rationem causandi; alio modo, secundum rationem durandi. Primo modo dicitur principium et finis rerum quod est principians ipsas res et terminans sive limitans earum naturas et existentias, et ad quod reducuntur tanquam ad ultimum suum finem; et sic Deus dicitur, scilicet 710 secundum rationem causalitatis, principium omnium et finis. Et sic principium et finis non repugnant aeternitati; immo summe concordant, nec dicit hoc modo carentiam principii et finis. Alio modo accipiuntur principium et finis secundum durandi rationem; et sic idem est principium et finis rei quod 715 terminus finalis et initialis durationis ipsius rei; et hii quidem termini non sunt nisi circa rem quae incipit esse et desinit. Et hoc modo aeternitas dicit carentiam principii et finis, et sic Deus non est principium et finis rerum, quia Deus est principium et finis extra et secundum rationem causandi. Principium 720 autem et finis hoc modo sunt principium et finis intra, et secundum rationem durationis; et hoc modo, eorum carentiam dicit aeternitas.

685. non habet terminos ideo: *iter. ms.* 687. immensa: in mensura *ms.*
714. idem: *s. v. ms.* idem: quod *add. ms.* 715. quidem: quid *ms.*

AD QUARTUM quod obicit, "simplicissimum non habet mensuram", immo quod simplicissimo omnia mesurantur, dicendum quod Philosophus loquitur de simplicissimo in genere quod est principium in genere illo. Tale enim est mensura aliorum in genere illo, sicut principium quod est substantia in praedicato substantiae dicitur mensura aliorum quae sunt in genere; quia quae sunt in eo accipiunt ab eo rationem eius, et continet et complectitur omnia illa, nec possunt transcendere limites eius, et protanto dicitur eorum mensura. Vel dicit quod simplicissimum non habet mensuram differentem a se secundum rem, sed solum secundum intelligendi rationem; sicut apparebit infra.

AD QUINTUM quod obicit, quod aeternitas est partibilis quare tota, dicendum quod non omnis totalitas ponit partibilitatem. Totum enim dicitur dupliciter: uno modo, secundum Philosophum, totum idem est quod perfectum; alio modo, dicitur totum quod constat ex omnibus partibus suis et cui nulla illarum partium deest; et hoc secundo <modo> totum ponit partibilitatem, et non primo modo. Primo autem modo accipitur hic unde est totalitas perfectionis. Aeternitas enim dicitur tota secundum rationem perfectionis, non secundum rationem divisionis in partes. Aliter etiam dicitur quod est quaedam totalitas quae attenditur secundum quantitatem molis; alia autem, quae attenditur secundum quantitatem virtutis. Prima totalitas dicit veram quantitatem, quae necessario ponit partem et partem; quia talis quantitas et totalitas omnino repugnat simplici, et ideo ponit / diversitatem sive partibilitatem. Sed in totalitate quae attenditur secundum quantitatem virtutis simul stat ratio magnitudinis et immensitas cum perfectione simplicitatis; quia, quanto aliquid est simplicius, tanto virtuosius. Et ideo sequitur quod, ubi est haec totalitas, quod ibi sit diversitas, et talem totalitatem ponit aeternitas.

AD ILLUD quod sexto obicitur de similitate, dicendum quod similitas duobus modis potest intelligi: uno modo, secundum rationem condurationis et coexistentiae diversorum durabilium; et hoc modo illa sunt similia quae coexistunt simul, et hoc modo similitas dicit diversitatem extrinsecam, quia ponit diversas existentias; et sic non cadit similitas in aeternitate. Alio modo potest intelligi similitas, per privationem successionis in duratione ipsius rei; et hoc modo illa dicuntur habere esse simul in quorum duratione non cadit successio aliqua, et

734. est: s. v. et exp. ms. 739. modo: coniect. 742. secundum²: divisionem add. sed exp. ms.

- 765 hoc convenit soli deo. Et haec similitas non ponit diversitatem, sed privat successionem in durando, et sic accipitur in ratione aeternitatis. Unde tota simul dicitur aeternitas, quia in ea nihil alteri posterius succedit, non propter hoc quod diversa et varia in ea simul coexistant. Unde similitas ibi nihil aliud dicit quam praesentialitatem summam et simplicem et indivisam;
- 770 unde simul non dicit ibi plura convenientia in unam mensuram vel loci vel alicuius adjacentis ad modum istorum, sed sumitur hic secundum quod est ratio opposita prioritati et posterioritati.
- 775 AD SEPTIMUM, quod aeternitas est mensura continua et extensa, dicendum quod Isaac, in illa diffinitione, diffinit aeternitatem prout secundum rationem convenit in eodem genere cum tempore et aevo, scilicet in duratione. Haec enim tria secundum rationem conveniunt in genere quod est duratio, quoniam durationem Isaac appellat spatium. Unde spatium hic non est spatium loci, sed spatium dicitur hic duratio indeficiens. Unde nunc aeternitatis, inefficenter stans, appellatur ibi spatium; et huiusmodi spatium non habet distensionem in partibus, sed potius indeficientia nunc indivisibilis et simplicis semper stantis. Similiter continuun non accipitur ibi secundum quod accipitur proprie in corporalibus, secundum quod
- 780 consuevit dici quod aliquid est continue quod non habet esse interruptum. Et ita dicitur hic continuum quod non incepit nec desinet; interruptio enim est finis continui, et sic ibi quoddammodo cessat continuitas. Unde continuumbi, secundum Isaac, dicit carentiam utriusque termini; et idem vocat Boethius interminabilitatem. Et sic dicimus quod temporalia non sunt continue quia incipiunt et desinent esse. Similiter non intersectum dicitur ad differentiam temporis, quod distinguitur secundum intersectiones per motum caeli, sicut ipse dicit ibidem. Unde idem dicit per istam diffinitionem ac si diceret
- 790 quod aeternitas est mensura omnino stans et indeficiens, interminabilis, simul tota, quia non interrumpitur priori et posteriori, quemadmodum tempus; et ideo dicit "non intersectum".
- 795

725. Cf. ad 1. 559.

736. Ad litteram non inveni, sed cf. *Metaph.* V, 26, 1023b25-1024a10.

767. posterius: *dub. in ms.* 783. secundum: *iter. ms.*

788. Cf. ad 1. 579.

789. Cf. ad 1. 14.

AD ILLUD quod octavo obicitur, quod aeternitas est quaedam circularitas, et ita posterior mensuris rectis, dicendum quod
 800 ista est falsa, ut est immo quod rectum est prius circulari.
 61^{va} Contrarium enim huius dicit Philosophus in secundo libro
 Caeli et Mundi. Hoc etiam apparet, quoniam circulus es prima
 805 figura et completissima. / Videmus etiam quod motus circularis
 est plus recto; unde aeternitas, quae est mensura quasi circu-
 laris, est completissima et prima, aliarumque contentiva, sicut
 circulus continet in se lineam rectam sive diammetrum. Item,
 cum dicitur "circulare est posterius recto", hoc forte potest
 habere veritatem respectu eiusdem, quia linea recta non habet
 complectionem donec ducatur ad circulum, et ipsa prius est
 810 linea recta quam veniat ad circulum. Sed respectu diversorum
 non est hoc verum.

AD NONUM quod obicitur, quod divinum esse, posse, praes-
 cire, mensuratur eadem mensura, et similiter operatio Dei quae
 est creatio mensuratur eadem mensura, et sic eadem mensura
 815 mensurantur; dicendum quod est loqui de istis ratione princi-
 palis significati, et sic sunt omnino eadem quia unumquodque
 aliorum, ratione principalis significati, nihil aliud dicit nisi
 divina essentia; aut ratione convocati temporalis, et sic non
 est verum. Unde creare dicit actum intrinsecum, qui est divi-
 820 num dicere sive disponere, et iste mensuratur aeternitate; sed
 ultra hoc connotat effectum temporalem, scilicet exitum creatu-
 rae in esse, qui est temporalis, et iste non potest mensurari
 aeternitate; et ideo, nec creatio. Sic dico quod Deus desinit
 praescire; praescire enim, ratione cognitionis divinae, aeter-
 825 num est, quia tantum connotat aliquid fore. Futurum factum
 praesens desinit esse futurum, ideo desinit praescire, scilicet
 ratione connotati, quia secundum suam scientiam non respicit
 futurum cum non sit ipsum futurum, sed iam factum praesens.

ET SIC patet responsio ad decimum.

827. suam: sua *ms.*

801. *De Caelo et mundo* II, 4, 286b18-23: Adhuc autem, si quidem perfectum est cuius nihil est extra accipere eorum quae ipsius possibile, quemadmodum determinatum est prius; et rectae quidem appositio est semper, circulari autem nequaquam; manifestum quia perfecta utique erit continens circulum. Itaque, si perfectum prius imperfecto, equidem propter hoc prior erit utique figurarum circulus.

830 AD UNDECIMUM quod obicitur, quod aeternitas est circumferentia et tempus centrum, dicendum quod, sicut Deus est sphaera intelligibilis cuius centrum est ubique et circumferentia nusquam, ita aeternitas habet rationem centri et circumferentiae, et non tantum circumferentiae. Nam, sicut in
 835 aeternitate est interminabilitas ratione cuius dicit circumferentiam quandam intelligibilem carentem principio et fine, sic in aeternitate est omnimoda similitas ratione cuius habet omnimodam simplicitatem et indivisionem; et ratione huius dicit centrum. Et haec duo circa divinum esse simul ponuntur,
 840 quia simul est simplex et infinitum; unde aeternitas et habet rationem circumferentiae, inquantum dicit mensuram sine principio et fine, comprehendentem tempus et aevum et excellentem; habet etiam rationem centri, inquantum est mensura simplicissima et tota simul. Et ita habet rationem utriusque, scilicet
 845 centri et circumferentiae, et ideo non oportet quod sit posterior, immo necessario prior. Et quod dicitur quod aeternitas est circumferentia et tempus centrum, dico quod falsum est: aeternitas enim non continet tempus sicut centrum, sed magis diametrum, scilicet ad modum quo circulus continet lineam rectam.
 850 Quod etiam dicitur, quod centrum est prius quam circumferentia, dico quod potest esse verum inquantum centrum habet rationem recti, sed non inquantum habet rationem centri; quia non habet rationem centri nisi per comparisonem ad circulum vel circumferentiam, quia non est centrum sub ratione centri
 855 nisi circumferentia sit.

AD DUODECIMUM, quod aeternitas habet terminum, dicendum quod mundum esse creandum vel futurum, fuit verum ante mundi constitutionem. Sed nota quod haec propositio erat vera veritate aeterna, scilicet veritate primae causae;
 860 propter quod mundus, licet non esset in rerum natura, erat tamen in sua causa. Quia tamen erat aliquando habiturus esse in rerum natura, ideo erat haec propositio vera "mundus est futurus". Haec enim duo exigebantur ad veritatem istius propositionis, scilicet quod mundus haberet esse in sua causa, et
 865 quod aliquando haberet esse in rerum natura. Quod mundus erat in sua causa, hoc aeternum; quod mundus foret habiturus esse in rerum natura, / hoc erat temporale; et ideo cum aeterno hic dabatur intellectio ad temporale futurum. Quod ergo propositio ista, quae significabat scientiam veram ab

61^{vb}

- 870 aeterno, desinit esse vera, hoc non est propter terminationem factam in aeternitate, sed propter mutationem factam in tempore; quia scilicet res quae erat futura, facta est praesens vel praeterita, scilicet mundi productio et mundi existentia, et quia sub connotatione futuri habebat veritatem. Ideo mutato
- 875 futuro, vel praesenti, vel praeterito, desinit habere veritatem. Unde mundus esse futurum, licet esset verum aeternum, non tamen erat incommutabile; immo erat verum contingens, quia connotabat futurum contingens. Unde, si aeternum non desinit esse, dico quod verum est de aeterno quod est pure aeternum;
- 880 sed verum aeternum cuius veritas pendet ex futuro contingenti non est immutabile, et sic erat veritas huius dicti "mundus fore creandum".

(Continuabitur)